



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Responsa Moralia In Causis Justitiæ Commutativæ De Restitutione & Contractibus

De Contractibus - Præcipuè ad commodum, atque usum Venerabilis Cleri
edita

Heislinger, Anton

Ingolstadij, 1726

Casus XXVIII. De taxatione mercedis molitoribus solvendæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40177

bi habebat, censum hunc nomine ipsius emeret, mutatis ad finem istum in tali circumstantia pecunijs, cum tamen sufficientes ipse habuerit divitias: negari itaque non poterit, imprudentiam non modicam in tali casu commissam fuisse, si non omnino fraudulenter omnia fuerint acta, ut quid enim simili modo non processerat in istis cum fundatione, cujus curam in se susceperat? cum igitur hæc omnia imprudentiæ, aut

injurie Præfecti adscribenda videantur; hic etiam nullum damnum patitur, licet solummodo tot florenos, quot in emptionem census expenderat, quingentos scilicet, ex pia fundatione accipiat; non apparet, ex quo titulo fundatio pia negligentiam, aut malitiam sui Præfecti, vel executoris cum hujus commodo; suarum autem facultatum jactura & detrimento, luere possit, aut debeat.

CASUS XXVIII.

De Taxatione mercedis molitoribus solvenda.

IN civitate aliqua molitores à Magistratu vi, & metu adacti sunt ad jurandum, quod deinceps pro rata molendi velint accipere tantum dimidiam partem ejus mensuræ, quam antea accepere more aliarum civitatum, & regionum.

Q. 1. An, & quomodo Magistratus pro suis subditis certam mercedem taxare possit?

Q. 2. An potuerit Magistratus vi & metu compellere molitores ad hoc juramentum.

Q. 3. An hoc juramentum cum injuria extortum in conscientia obliget?

Q. 4. An valeat, licet metu sit extortum?

Q. 5. An censeri possit à Magistratu relaxatum, quia iste succedentes molitores ad nullum juramentum ulterius obligat?

SYNOPSIS.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An et quomodo Magistratus pro suis subditiis certam mercedem taxare possit ?

- | | |
|---|--|
| <p>1. Potest Magistratus taxare mercedem laborantibus in sui commodum persolvendam.</p> <p>2. Ita ut ejusmodi statutum, si justum sit, obliget in conscientia ex justitia.</p> <p>3. Hinc contra justitiam peccabit, qui vulgarem mercedem accipit, casu quo justo statuto taxata merces sit vulgari inferior.</p> <p>4. Quod etiam procedit, licet merces taxata sit minor vulgari infimâ.</p> | <p>5. Possunt absolutè adesse tales circumstantiæ, in quibus talis lex sit justa.</p> <p>6. Ordinariè tamen ac regulariter statutum ita diminuens mercedem ferri non potest.</p> <p>7. Hinc pro injusta erit habenda, quando non manifestè patet necessitas reipublice.</p> <p>8. Quæ cum in dato casu non appareat, lex ista habenda pro injusta.</p> |
|---|--|

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum ?

An Magistratus potuerit vi ac metu compellere molitores ad hoc juramentum.

9. Non potuerunt ad illam compelli, si lex fuerat injusta.

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum.

*An hoc juramentum cum injuria extortum molitores
in conscientia obliget ?*

- | | |
|---|--|
| 10. Responso est affirmativa. | 15. Nec obest, quod dolus petat, qui statim restituere debet. |
| 11. Non obstante textu Can. juram. 22. q. 5. | 16. Respondetur Legi Julianus ff. de conditione indebiti. |
| 12. Aut quod accessorium sequatur principale. | 17. Quandonam indebitum scienter solutum repeti possit. |
| 13. Si causa, ob quam corrumpit principale, non concurrat ad accessorium, hoc etiam illo corrumpente non corrumpit. | 18. Ad solam solutionem ex juramento se obligans ab hoc liberatur, licet solutum postea repetiverit. |
| 14. Ex eo quod solvens possit solutum repetere, male inferitur, quod etiam ope exceptionis à solutione immunis existat. | 19. Solutio usure non est actus illicitus. |

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

An Juramentum metu extortum valeat ?

- | | |
|---|---|
| 20. Juramenta metu injusto extorta, si sint de re licita, valent. | 25. Valet tale juramentum etiam in contractibus jure reprobatis, qui absque dispendio æternæ salutis observari possunt. |
| 21. Jure naturali. | 26. Hinc non obest dispositio Authenticæ Sacramenta puerum. |
| 22. Et divino. | 27. Aut capitulum cum contingat de jurejurando. |
| 23. Uti etiam canonico. | 28. In quibus dolus & metus in materia juramentorum equiparentur. |
| 24. Cùm in materia spirituali, qualis est juramentum, canonicum præferatur juri civili, ideo circa valorem talis juramenti standum aut decisioni Canonum. | Ddd 3 |

29. Vota metu extorta licet non valeant, subsistent tamen ex metu facta juramenta.

30. Respondetur objectioni ex cap. pervenit, de jurejurando.

§. V.

Resolvitur quintum Quæsitum?

An hoc Juramentum censeri possit à Magistratu relaxatum; quia iste hoc Juramentum à succedentibus molitoribus non amplius exigit?

31. Magistratus secularis non potest propriè Relaxare juramenta.

34. Et prudenter etiam remissio aña præsumitur quia succedentes de novo molitores non amplius ad juramentum hoc obligat.

32. Subinde tamen nomine partis illud poterit Remittere.

33. Unde Magistratus iste absolutè potuit vel nomine communitatis vel proprio hanc obligationem molitoribus remittere.

35. Hec remissio exterius sufficienter manifestatur, quia succedentes molitores ad juramentum ulterius non obligantur.

§. I.

Resolvitur primum Quæsitum.

An & quomodo Magistratus taxare Subditis mercedem possit?

A Ntequam concludamus, an Magistratus potuerit vi ac metu compellere molitores, ut juramento promittant, quod deinceps pro taxa molendi velint accipere duntaxat dimidiam partem ejus mensuræ, quam antea accipere more etiam aliarum civitatum & regionum, prius examinandum, num Magistratui com-

petat facultas taxandi certam mercedem in compensationem laborum, quos in molendo frumento molitores subeunt.

Dico I. Competit absolutè Magistratui, ut talem certam mercedem lege vel statuto taxet, quæ consideratis circumstantiis judicatur esse compensativa laboris. Probatur conclusio I. praxi, & con-

consuetudine communi, vi cuius pro diurno labore, quem conducti v. g. ad metendum triticum, invehendum scenum &c. impendunt, determinatum fuit certum salarium diurnum. Item pro nuntijs, pro conductione equorum &c. Probatur 2. ad Magistratum non minus pertinet providere, ut non nimia merces exigatur à locationibus suam operam in officijs ad bonum subditorum impensam, ac illius est providere, ut merces iusto & aequabili pretio distrahanur: ergo sicut lege taxare potest pretia rerum, ita etiam taxare potest mercedem.

Probatur 3. Contractus, quem cum Molitoribus in ordine ad molendum frumentum inimus, si non propriè sit locatio vel conductio, eo quòd nullum in illo pretium sed merces tantum aliqua intercedat, est tamen ille teste Laymano *lib. 3. de Justitia tract. 4. cap. 22. n. 1.* locationi non absimilis, & hinc dispositum de uno censetur etiam dispositum de altero. juxta DD. in *Legem 1. §. si quis servum: ff. de positi.* ergo sicut in locatione certum pretium lege taxari potest, ita etiam poterit in hoc molitoris contractu.

Probatur 4. Magistratus potest melius & indifferentius perpendere omnes circumstantias, à quibus præsens valor & æstimatio laboris pendet, quàm ipsimet mo-

litores, quos propria avaritia & cupido discedendi excæcat: ergo &c.

Dico 2. Talem certum pretium determinantem legem, si justa sit, obligare etiam in conscientia, ita ut illam violantes peccent contra justitiam. Probatur: talis Lex habet rationem cujusdam sententiæ, quam pensatis omnibus circumstantijs in gratiam afferentium ad molendinum frumentum Magistratus tulit ac statuit: ergo instar ejusmodi sententiæ obligabit in conscientia.

Probatur 2. Ob justas causas & bonum commune potest Magistratus dominia rerum ab uno subditorum transferre in alterum, si Reipublicæ felicitas hoc exigat, uti cernimus contingere in præscriptione: ergo potest molitoribus jus adimere exigendi & accipiendi majorem mercedem, etsi alioquin naturaliter justam.

Dico 3. Quando merces legitima, id est justa lege taxata, est minor mercede vulgari hoc est illa, quæ ante latum statutum ex consuetudine solvi erat solita, non licet molitoribus exigere majorem vulgarem mercedem, sed contra justitiam peccabitur, si à mercede taxata discedatur, licet pretium vulgare observetur. Ita uterque Medina, Bannes, Salon, Arragon, Sotus, Covarruv. Rebellus *p. 2. lib. 9. q. 2. sect. 1.* Lessius *lib. 2. de Just. c. 21. dubit. 2. n. 14.* Salas *tract. de emptione dub.*

sub. 16. n. 2. Navarr. Valentia &c.
 Probatur. juxta prius dicta potest Magistratus taxare mercedem laborum, & sua lege taxante obligare subditos in conscientia ad servandam statutam mercedem: atqui ista intendit, si certam mercedem statuatur; quia vult hanc & non aliam mercedem esse justam, excessum autem injustum: ergo &c.

4 Dico 4. Etiam si merces à Republica per legem justam decreta sit inferior mercede vulgari & ordinariæ etiam infima, ita ut hanc non attingat, eandem tamen non autem majorem ac vulgarem infimam à molitoribus posse exigi. Probatur. si tale statutum justum est, etiam merces illo taxata erit justa: ergo merces vulgaris, quæ ante hanc legem erat justa, desijt esse justa, consequenter non amplius poterit exigi.

Confirmatur, si lex justa adimit privatis jus ad mercedem, quod independenter à lege ad istam haberent, non amplius possunt illam mercedem exigere; sed hoc ponimus fieri: ergo &c.

5 Dico 5. Absolutè possunt tales circumstantiæ dari, ut lex taxans mercedem, quæ non attingit vulgarem infimam, tamen justa sit, & obligans ex justitia subditos. Ita Abbas, Bartolus, Alex. Tirraquell, & communis D. D. apud Salas tract. de emptione dub. 6. n. 4. Rebellus p. 2. lib. 9. q. 2. n. 6. Lugo disp. 26. de just. n. 59.

Probatur ratione. Possunt adesse tales circumstantiæ, ut gravissima Reipublicæ necessitas exigat, ut res & labores ad vitam necessarij taxentur mercede, quæ sit inferior mercede vulgari infima: sed in hoc casu erit talis lex justa: ergo &c. Prob. min. bono communi, & publico debent cedere commoda privatorum: ergo si boni publici necessitas hoc exigat, lex talis erit justa.

Dico 6. Eiusmodi diminutionem mercedis, quæ sit inferior mercede communi, & vulgari ordinariæ, ac regulariter fieri non posse. Ita Molina tract. 2. de justitia disp. 364. n. 3. & disp. 365. à n. 2. Gibalin, de negotiis. hunc lib. 4. c. 4. art. 4. conclus. 14.

Probatur ratione. Magistratus vel alius Summus Princeps non habet potestatem ita diminuendi mercedem communem atque vulgarem, nisi adsint gravissimæ necessitates, & casus rarissimi: sed ordinariè atque regulariter non adsunt hæ gravissimæ necessitates: ergo &c. Prob. Maj. Princeps vel Magistratus non habet facultatem inæqualiter gravandi subditos: sed hoc modo gravaret istos inæqualiter, cum in solos istos totum onus derivaretur.

Dico 7. Cum regulariter fieri non possit diminutio mercedis infra mercedem infimam atque vulgarem communem; ideo quando non manifestè patet necessitas Reipublicæ exigens hanc di-

minutionem mercedis. Talis Lex pro injusta, & non obligatoria haberi potest. Prob. summa necessitas Reipublicæ semper patet. 2. Si de hac Lege in particulari loquamur, non facillè adduci poterunt circumstantiæ, quæ ratione communis necessitatis exigant, ut soli molitores non recipiant mercedem suam ordinariam vulgarem, ac in Regionibus & Civitatibus circumjacentibus usitam.

8 Dico 8. Si mensura ante statutum exigi à molitoribus solita, etiam à molitoribus aliarum Civitatum, & Provinciarum exigebatur sine aliorum querelis, statutum dicto modo diminuens mensuram priorem probabilis

fuerat injustum, & hinc in conscientia præscindendo à Juramento non obligabat. Prob. cum in casu ponantur molitores ante hanc Legem semper accepisse duplo majorem taxam, & hanc etiam circumjacentes Civitates, ac Regionem sine ulla querela de nimio talis taxæ excessu molitoribus persolvere. Non videtur communis necessitas hujus particularis Civitatis exigere, ut illa apud suos molitores diminuatur, cum non appareat: qualiter hujus Civitatis incommodis, ac necessitati aliquod remedium afferatur ex solius istius taxæ solos molitores gravantis diminutione: sed si hoc non appareat, ex antea dictis injustum est statutum: ergo &c.

§. II.

Resolvitur secundum Quæsitum.

An Magistratus potuerit vi, & metu compellere molitores ad hoc Juramentum?

9 Dico 1. Si statutum taxans hanc minorem mensuram fuit injustum, non poterunt ad hoc Juramentum compelli molitores, Prob. nemo potest obligari ad ad servandam Legem injustam: hoc ipso enim quod sit injusta, non est Lex, cum hæc sit quædam rationis ordinatio ad bonum commune ordinata ab eo, qui curam communitatis habet promul-

gata. Prob. 2. Quilibet operarius est dignus mercede sua, quam ex judicio communi aliorum videtur mereri: sed taxa, quæ semper persolvi fuit solita sine querela, est talis: ergo &c.

Prob. 3. Quia latro non habet jus ad exigendam à viatore pecuniam, etiam non habet jus ad exigendum Juramentum promissorium pecuniæ: ergo &c.

Ecc

Prob.

Prob. 4. Nemo potest justè teccedens constat ex cap. *debitores*
compelli ad juratam promissionem 6, *de jurejurando*.
solvendæ usuræ : ergo &c. An-

§. III.

Resolvitur tertium Quæsitum

An hoc Juramentum cum injuria injustè extortum molitores in conscientia obliget ?

Responso est affirmativa. Ita
S. Thomas 2. 2. q. 29. art. 7. ad 3. Covarruvias in c. *quamvis* 2. de *pañis* in 6. pr. 3. §. 4. n. 2. Gutierrez de *Juram.* cap. 57. n. 19. Suarez cap. 10. n. 4. Molina tract. 2. de *J. & J.* disp. 149. n. 4. Barbosa & Gonzalez uterque. Item Panormitanus in cap. *debit.* Immola, Felinus & alij relati à Suarezio tom. 2. de *Relig.* c. 9. n. 5. Sanchez lib. 3. *summe* cap. 11. num. 12. Palao de *Juram.* disp. 2. pu. 3.

Prob. universalis de Juramento promissorio regula ab Innocentio III. in c. *cùm contingat* 28. atque à Bonifacio VIII. c. *licet* 2. *bic* in 6. & c. *quamvis* 2. de *pañis* in 6. tradita habetur : quod omne Juramentum servandum sit, quod in dispendium salutis æternæ non vergit, & in præjudicium tertij non redundat, hoc est, quod non est de re illicita : atqui executio hujus Juramenti promissorii non vergit in dispendium salutis æternæ, neque redundat in præjudi-

cium tertij : ergo &c. Prob. min. etsi molitores dimidiatam detrahat partem summæ alias consueta recipiant. Per hoc nullum peccatum committunt, neque acceptio hujus minoris summæ redundat in præjudicium aliorum, cum his potius profit, eò quòd non debeant tantam quantitatem molitoribus persolvere.

Prob. 2. Si non obligaret in conscientia, ratio posset esse, vel quia ipsa Lex non obligat, hoc est, quia promissio molitorum in hoc casu independenter à Juramento est nulla ; vel quia per injuriam fuit extortum ; nullum ex istis est sufficiens : ergo &c.

Prob. primum membrum minoris. Etsi Lex tanquam injusta, aut promissio utpote per injuriam extorta semoto Juramento promissorio per se non obligent. Religio tamen, sive supremæ Majestati debita reverentia exigit, ut ipso opere impleatur, quod ejusdem nomine invocato, & interposita autoritate promissum est, Prob.

Prob. Math. c. 5. §. 33. legimus: *Reddes Domino Juramenta tua.* 2. Non est licitum nomen Domini in vanum assumere: sed assumeretur in vanum: ergo &c.

Probatur etiam secundum membrum ejusdem minoris in c. *debitores* 6. habetur, debitores ad solvendas usuras, in quibus se obligaverant, cogi non debent, si verò de ipsarum solutione juraverint, cogendi sunt Domino reddere Juramentum.

Prob. 2. Ratione, etsi Juramentum promissorium fuerit per injuriam extortum, ipsius tamen executio non vergit in detrimentum aeternae salutis, nec praedicitur tertio: ergo servandum erit, consequenter in conscientia obligabit.

¶ Ob. 1. Simplex promissio solvendarum usurarum per injuriam extorta non obligat in conscientia: ergo neque jurata. Antecedens constat ex cap. *debitores* 6. prin. consequentia probatur ex can. *Juram.* 22. q. 5. dicitur, inter Juramentum & simplicem loquelam, hoc est, promissionem non debere esse distantiam: seu apud Deum nulla est differentia inter simplicem promissionem & juratam. R. conc. ant. neg. conf. in probatione distinguo antecedens; apud Deum nulla est differentia inter Juramentum & promissionem, in quantum utraque obligat ad executionem rei promissae, aut juratae concedo, etiam

quoad valorem, & gravitatem obligationis implendae, quoad culpam admissam in violatione utriusque. Nego.

Ob. 2. In *Regula accessorium de Reg. Juris in 6.* accessorium sequitur naturam principalis: atqui Juramentum est accessorium & promissio, seu obligatio à Magistratu imposita est principalis: ergo, nego minorem. Ratio est, quòd hoc Juramentum per se stet, ipsamque promissionem, vel obligationem impositam non confirmet, sed primùm aliquam erga Deum introducat. Hinc ex isto nullum jus promissario, aut homini alij accedit, sed soli Deo, qui executionem rei juratae exigat.

Dices: Corruente principali, corrumpitur accessorium, sed promissio est principale: ergo &c.

R. 1. Ex responsò in priore numero constare, quòd hoc Juramentum per se stet, & obligationem impositam non confirmet.

R. 2. Distinguo majorem. Hoc fit, si causa, ob quam corrumpitur principale, etiam corrumpat in accessorio: concedo, si hoc non fiat, nego majorem. & sic distincta minore nego consequentiam. Promissio vel obligatio injustè imposita irritatur ob turpitudinem extorquentis. Haec autem non datur ex parte Dei, cum hic Juramentum non extorserit: his addo, quòd *Regula cum principalis: ff. de Reg. Juris* asserat, plerumque
Ecc 2 con-

contingere, non autem *semper*, ut corruente principali corruat etiam accessorium.

14 Ob. 3. Si tale Juramentum obligaret, tunc solutus promissario pecunias non posset repetere jurans debitor: atqui potest illas statim repetere *vi cit. cap. debitorum*: ergo Juramentum non obligabit. Probatum major. si potest repetere & actionem illas repetendi habet, tunc etiam non tenetur illas solvere, ergo &c. probatur antecedens *vi reg. 21. Qui ad agendum: de reg. juris in 6.* cui datur actio, datur etiam exceptio: ergo &c. *iv. nego* majorem in probatione distingo antecedens, si potest repetere & actionem repetendi habet ante solutionem, etiam potest uti exceptione ut non debeat solvere, concedo: si potest repetere primum post solutionem tunc habet exceptionem non solvendi, nego. Jurans acquirit actionem repetendi ab injusto extortore solutum postquam istud ab illo fuit acceptum, tunc enim primum injustè possidetur, ipse etiam solvens non habet actionem repetendi, nisi postquam facta solutione satisfecerat Juramento, tunc autem etiam eidem competit exceptio contra omnes volentes eundem à repetendo impedire.

15 Ob. 4. *Vi Legis dolo ff. de doli mali § met. exceptione: item reg. 56. de reg. juris in 6. dolo petit, qui statim restituere debet: sed in-*

justus extortor statim restituere debet: ergo dolo petit, consequenter non tenetur solvere juratus promissor. *iv. Concedo*, quòd extorquens non possit petere, nam promittens non est obligatus ob jus competens exactori Juramenti; exigit tamen hanc solutionem ipse Deus, cui facta fuit promissio, & ob hanc datur obligatio solvendi.

Idem responderi debet, si obiiciatur, quòd *vi Legis Julianus ff. de condition. indebti*, si solvatur debitum non repetatur. *iv. enim*, si solvatur debitum ob jus, quòd competit illi, cui datur, non potest illud repeti: concedo. si solvatur ob aliam causam, quàm ob jus accipienti conveniens, non potest repeti. *nego*, solutio fit ob Juramentum & ex motivo Religionis, cui satisfit, modo facta solutio rei jurato promissa.

Ob. 5. *Leg. cujus per errorem: ff. de reg. juris & Lege 1. ff. de condition. indeb. & Lege indebitum: eod. tit. si indebitum scienter solvitur, non repetitur, quia donari videtur. iv. dist. ant. si ex omni ratione indebitum scienter solvatur videtur donari concedo, si indebitum ex Justitia, debitum tamen ex Religione scienter solvatur, censetur donari. nego, solutio hæc, uti vidimus, debita est ex Juramento.*

Ob. 6. Non videtur Juramento liberatus, qui sic solvit, ut postmodum repetat *Lege, qui sic sol-*

solvit ff. de soluti. 3. dist. ant. si ille suo Juramento ad plus aliquid se obligaverit : concedo , aliàs nego.

- 19 Ob. 7. Etsi acceptio minoris mensuræ respectu molitorum non sit illicita , erit tamen illicita so-

lutio usuræ ; cum hæc non possit accipi sine peccato ab usurario. *¶* neg. solutio enim non est actus vitiosus ; quia promittenti est utilis , & laudabilis eò quòd illam amore Religionis faciat , & ut se fidelem executorem suæ promissionis ostendat.

§. IV.

Resolvitur quartum Quæsitum.

An Juramentum metu extortum valeat ?

Quæstio hic solum instituitur de Juramento , quo aliquis metu injusto impulsus promittit alteri actum de se licitum , nullo jure naturali , divino , aut positivo irritatum aut prohibitum , qualis utique fuit acceptio minoris mensuræ , quam aliàs communiter molitoribus persolvere illicius communitatis homines consueverunt.

- 20 Dico itaque, ejusmodi Juramenta metu etiam injusto extorta valent. Ita D. Tho. 22. q. 89. art. 7. & Cajetanus ibi : & Navarrus cap. 12. n. 14. Covarruvias de Sponsalibus 2. p. c. 3. §. 5. num. 5. & de pactis 3. p. §. 4. n. 2. & lib. 1. variar. cap. 4. n. 7. Molina Theolog. tom. 1. de Just. tract. 2. disp. 149. versu 4. Sanchez lib. 4. de mati. disp. 20. n. 4. & lib. 3. summe cap. 11. n. 14. & 15. Lessius lib. 2. cap. 42. dub. 6. Bonacina tom. 2. disp. 4. pu. 9. q. 1.

Palao de Juram. disp. 2. pu. 4. cum alijs pluribus

Probatur conclusio. Tale Juramentum neque est jure naturali , neque divino , neque positivo canonico irritum : ergo valet.

Quòd non sit jure naturali irritum , probatur. non obstante metu gravi injusto , adhuc tamen talis jurata promissio est juranti voluntaria : ergo jure naturali subsistit ; cum jus naturale non plus aliquid , quàm actum voluntarium exigat. antecedens etiam probatur. metus non tollit voluntarium , sed istud tantum minuit. prout habetur in Lege si mulier. 21. §. 5. ff. quod metus causa ibi coacta voluntas est voluntas.

Sed neque jure divino est irritum : probatur : si ab hoc irritaretur , non esset observandum , sed hoc est falsum : prob. min. Ezechielis enim cap. 17. Regi Sedecie exprobat , insuper & gravia

Ecc 3

via

via mala minitantur à Deo, quòd fidem Babilonijs datam, licèt metu extortam violaverit.

23 Sed neque à jure positivo Ecclesiastico annullatum tale Juramentum, sed potius ut validum declaratur. quod probatur 1. *ex cap. si verò: de jurejurando.* in hoc gravissimo metu quidam coactus fuit jurare juris sui renuntiationem, & tamen Pontifex asserit, non esse tutum venire contra suum Juramentum, nisi hoc tale fuerit, quod servatum vergat in interitum solutis aeternae. prob. 2. *ex cap. verum: 15. eadem rubrica:* hìc tali Juramento obstricti dicuntur per Romanos Pontifices à Juramento absoluti fuisse (intellige per relaxationem illius) & additur: *ceterum, ut agatur consultis, & auferatur materia pejerandi, non eis ita expresse dicatur, ut Juramenta non servant; sed si ea non ita attenderint, non ob hoc sunt tanquam pro mortali crimine puniendi.*

Probatur 3. *In cap. ad audientiam: de bis, quae vi, metusve causa,* dicitur, Juramento suo teneri, qui illo compulsus resignaverat suo beneficio, etsi illud Juramentum non obstet, quod non repetatur dimissum antea beneficium, & quidem propterea, quia beneficiatus non juraverat, se non repetiturum esse dimissum à se ex gravi metu beneficium: ergo supponit, quòd si jurasset se neque repetiturum esse benefi-

cium, beneficiatum fore obligatum vi Juramenti, ut non repetere.

Sola igitur quaestio de jure civili superest, num est istud agnoscat tale metu gravi extortum Juramentum ut validum, vel illud annullaverit, hoc posterius videntur evincere *Authentica sacramenta puberum: & Lex non dubium Cod. de LL.* item textus in *Lege juris gentium ff. de pactis.* asseritque Sanchez *lib. 4. de Matrimonio disp. 20. n. 5. in solut. 2. argum. esse communem.* quid quid autem sit de hac lite, nobis sufficit, quòd in materia de Juramento tanquam spirituali vi *cap. licèt 2. in 6. sequendum potius sit jus canonicum, à quo civile in hoc fuit correctum & reformatum, prout ex communi docet Palao disp. 2. de Jurament. pu. 4. n. 6. & 7.*

Ob. haecenus dictis 1. Tale Juramentum vel valerit etiam in contractibus jure reprobatis, vel solum in actibus non reprobatis: neutrum potest dici. 2. probabilius illud etiam valiturum in contractibus jure reprobatis, si absque dispendio aeternae salutis observari valeant, quod patet *ex cap. debitores: de jurejurando.* ubi dicitur observandum Juramentum de solvendis usuris factum, licèt istarum promissio à jure reprobata fuerit. Idem colligitur *ex cap. ad audientiam: de ijs quae vi.*

Obi

- 26 Ob. 2. *Authenticam : sacramenta puberum : Cod. si adversus venditionem.* ¶. solutionem hujus à nobis jam antea insinuatam fuisse.
- 27 Ob. 3. In *cap. càm contingat de jurejurando* : & *cap. quanvis pàzum : de pàzis in 6.* asserit Pontifex, Juramenta, quæ non vi, nec dolo præstita sunt, nec vergunt in dispendium salutis æternæ, aut in alterius præjudicium, esse servanda : ergo è contrario, quæ metu sunt præstita, non erunt servanda. R. dicit ant. dicit taliter præstita Juramenta esse omnino servanda, ita ut neque relaxari debeant : concedo, in alio sensu, nego antecedens : & distinguo consequens : ergo quæ ex metu sunt præstita, non sunt omnino servanda, sed relaxari poterunt : concedo, non sunt servanda, hoc est, neque omnino subsistunt, & nulla relaxatione indigent, negatur. In Juramentis metu expressis locus relaxationi datur, ut hac ratione via coactionibus præcludatur.
- 28 Ob. 4. Dolo extorta Juramenta non subsistunt : ergo neque ex metu gravi facta. Prob. consequentia, dolus & metus in jure æquiparantur inter se : ergo &c. ¶. concedo antecedens, nego consequentiam, in hujus probatione distinguo antecedens, dolus & metus æquiparantur inter se in quantum ambo firmitatem promissioni auferunt, concedo,

in quantum immediatè ambo annullant Juramentum absque omni relaxatione negatur. Cum dolus sæpius consensum in contractum tollant, non itidem ipse metus, hinc non est omnimoda inter illos paritas.

Ob 5. *Vi cap. perlatum est ad audenti. vn. de bis, que vi :* non obligant vota ex metu gravi facta : ergo neque juramenta. Prob. consequentia *juxta glossam 1. ad finem in c. si quis votum 27. q. 1. § c. quanto de jurejurando,* à voto firma fit argumentatio ad Juramentum : ergo. ¶. concessio antecedente, nego consequentiam, ratio est, quod expressa habeatur irritatio voti, nullibi autem inveniatur annullatum tale Juramentum inutilitatem hominum, & hominibus factum, ratio est, quod in istis Juramentis attendatur, quid promissario homini placeat & de se honestum sit, non autem (prout in votis evenit) quid DEO gratius, ceterum à voto bona fit argumentatio ad Juramenta DEO & in honorem DEI & huic immediatè præstita non autem ad Juramenta immediatè in utilitatem hominis facta.

Ob. 6. In *cap. pervenit. de jurejurando* : deciditur, Episcopum rebus suis spoliatum & ad non repetendum illas Juramento compulsus nullam obligationem ex hoc Juramento contraxisse : ergo &c. ¶. nego consequentiam, Ratio, ob quam hoc Juramentum non

non

non valuerit, non erat gravis metus injustè incussus, sed quia verfabatur circa materiam in se malam, scilicet de non repetendis rebus ablatis, quæ spectaverant ad Ecclesiam, & quæ Episcopus vi sui officij conservare ac repetere tenebatur: ergo si juravit, quod nolit repetere Juramentum super omissione iniqua erat depositum, & hinc non obligatorium.

Urgebis in cit. cap. dicitur, quòd Episcopus suis rebus fuerit spoliatus: ergo ablata non spectaverunt ad Ecclesiam. *¶* nego con-

sequentiam. quia enim, ut Episcopus gerebat curam rerum Ecclesiasticarum, ideo vocabantur suæ,

Dein si negant adversarij fuisse res Ecclesiæ sed proprias Episcopi, dicimus illud Juramentum fuisse validum & à Pontifice postea relaxatum prout tventur Suarez l. 2. de Juram. cap. 10. n. 7. & Sanchez lib. 3. summa cap. 11. n. 37, & quidem relaxatum esse ob solum metum, quem unicè pro causa relaxationis adducit Pontifex, quo volebat innuere solum metum sufficere, ut Juramentum relaxaretur.

§. V.

Resolvitur quintum Quæsitum.

An hoc Juramentum censi possit à Magistratu relaxatum, quia iste non amplius Juramentum exigu à succedentibus molitoribus?

31 Dico 1. Magistratus secularis non potest propriè relaxare Juramenta, ita Suarez lib. 2. de Juram. cap. 41. n. 16. circa medium Sanchez lib. 3. cap. 22. n. 15. Palao disp. 3. de Juram. pu. 5. n. 4. Probatur. relaxatio ista est actus Jurisdictionis spiritualis, sed hujus potestas secularis est incapax: ergo &c.

32 Dico 2. Poterit ille tamen sub nomine partis, cui factum est Juramentum remittere juranti obligationem. Ita tenent Covarru-

vias lib. 1. variar. cap. 4. Molina tom. 1. de Justi. Disp. 149. Emissa Saa verbo Juramentum n. 29. Sanchez lib. 3. summa cap. 22. n. 15. Palao disp. de Juram. pu. 5. n. 4. Probatur. Princeps vel Magistratus secularis potest cogere subditum, ut Juramenti obligationem remittat, & si iste noluit, ipse poterit remittere: ergo &c. Probatur antecedens. superior potest supplere subditi consensum ab hoc præstandum, factum etiam superioris aut judicis reputatur esse factum ipsius subditi: ergo &c. Cov.

Confirmatur vi *Legis ob causam Cod. de evictione* habetur, quòd ego teneat de evictione, non fecus ac si ipse vendidisset, si meam domum superior vendiderit: ergo factum superioris habetur pro facto subditi hinc.

33 Dico 3. Magistratus iste absolute potuit obligationem Juramenti molitoribus remittere nomine communitatis, vel etiam proprio. Probatur hoc Juramentum vel est immediate factum subjecta communitati adveniendi suum frumentum ad molendum, quorum utilitas per hoc Juramentum intendebatur: vel ipsi Magistratui: cuicumque horum factum fuerit Juramentum, juxta dicta Magistratus remittere obligationem Juramenti potuit: ergo &c.

Prob. 2. Magistratus ut representans totam communitatem imperaverat hoc Juramentum: ergo ipse etiam ut talis est creditor: atqui creditor potest remittere Juramentum: ergo etiam Magistratus ut talis. Probatur antecedens subsumpti creditor potest condonare materiam vel, actionem sibi promissam: ergo. Probatur consequentia, quando cessat fundamentum, cessat etiam ejusdem obligatio: sed condonata materia promissa cessat etiam fundamentum Juramenti, quia DEUS vult in tantum obligare jurantem, in quantum hunc vult obligatum ille, in cujus gratiam commodum, & utilitatem Jura-

mentum fuerat factum: ergo si hic remittit obligationem, remittit hanc etiam DEUS.

Neque dicas 1. Creditorem non posse obligationem remittere. *R.* enim, cuilibet concessum esse sua debita remittere alijs.

Neque dicas 2. Omne Juramentum tollitur relaxatione, vel irritatione: remissio à Magistratu facienda non est relaxatio nec irritatio: ergo &c. *R.* enim esse irritationem factam ab habente dominium in materiam seu in rem promissam. Advertimus autem, ut tali remissioni locus sit, requiri, ut materia, seu actio Juramento promissa, cedat in utilitatem hominis creditoris. Ita Sanchez, *lib. 3. c. 20. n. 5. & lib. 1. de matrim. disp. 52. n. 9. ad primum.*

Dico 4. Ex eo, quòd Magi- 34
stratus à succedentibus molitoribus Juramentum istud non amplius exigit, prudenter ac rationabiliter præsumitur remittere veteranis molitoribus obligationem hujus Juramenti. Probatur, tunc hæc remissio potest prudenter præsumi, quando non remittendo illam illicitè procederet, sed ita procederet. Probatur minor. veterani hi molitores à Magistratu inæqualiter, ac magis sine ullo fundamento gravarentur, quàm ipsi novi succedentes molitores: sed si veterani magis & inæqualiter sine ullo fundamento gravarentur, procederet Magistratus illicitè:

Fff

licite:

licitè : Probatur minor. Princeps & Magistratus ex suo officio tenentur subditos æqualiter gravare, ac sine fundamento nulli subditorum majus onus imponere, quam ceteris : ergo si hoc facerent, & aliquos magis gravarent, quam ceteros, illicitè agerent.

Quod autem subsistente hac obligatione Juramenti seniores molitores magis gravarentur, quam succedentes juniores, constat seniores enim & ex Religione vi præstiti Juramenti, & statuto Magistrati ad taxam præscriptam & non majorem expetendam obligarentur. Juniores non itidem : ergo &c.

Quin imò cum ex dictis constet, Legem istam probabilissimè esse injustam, hinc junioribus molitoribus liceret accipere majorem mensuram, quam molitores poterant accipere ante hoc decretum : non enim prohiberentur ab hoc propter decretum Magistratus, cum hoc sit injustum, & non obligans : nec propter Juramentum, cum nullum ediderint : contrarium tamen fieret in molitoribus Juramento obstrictis ad dimidiatam summam recipiendam.

Confirm. Potuit Magistratus ad remissionem hujus juratæ obligationis fuisse permotus, quod videret, illam esse laqueum molitoribus, & ad horum majorem perniciem cedere, quia eisdem occa-

sionem præbet graviter contra Religionem delinquendi : item potuit agnoscere hanc minorem mensuram assignatam esse mercedem justâ inferiorem, consequenter statutum esse injustum,

Deinde Juramentum obligat, quamdiu res in eodem statu permanent, non autem notabiliter mutatis circumstantijs, vi *cap. brevi de jurejurando* : atqui si posteriores molitores non obligantur Juramento, notabiliter mutata fuerunt circumstantiæ : ergo &c. Prob. min. antea omnes molitores obligabantur ad dimidiatam mensuram accipiendam. Non poterat ullus illorum accipere majorem mensuram illam, quam ante hoc Juramentum communiter exigebant : modò autem isti juniores molitores ad hoc non obligarentur, & possent accipere illam consuetam antea majorem mensuram : ergo &c. Videntur igitur seniores molitores in suo Juramento subintelligisse hanc conditionem, quòd velint esse obligati, quamdiu obligatio omnes obligatura sit,

Dices : sola interior revocatio Legis, ac facti statuti non abrogat Legem, aut statutum : ergo licet hæc revocatio præsumatur, nondum tamen deobligati molitores erunt, quia nullo signo externo fuit manifestata, sufficienter hanc revocationem fuisse

fuisse manifestam ex eo, quòd revocatio ex ista omissione fa-
 succedentes molitores non am- cillimè à veteranis molitoribus
 pliùs ad hoc Juramentum Magi- colligi, ac rationabilissimè infer-
 stratus adigat. Potèstque hæc ri,

CASUS XXIX.

De Contractu dotali inter Conjuges metu à inito.

Medardus, postquam contraxisset Sponsalia cum Sempronia, & præmissis jam duabus denuntiationibus, circiter tribus ante celebrandas nuptias diebus cum Tutore suæ sponsæ incepisset agere de dote, contradote, & Societate bonorum inter futuros conjuges; invenit tutorem oppidò insolentem, in quantum iste assereret, vel pactum, quod ipse dictaverat incundum à Sponso esse, vel Sponsalia etiam jam factis duabus Denuntiationibus rescindenda. Sponsus nimio amore Sponsæ æstuans condixit invitis parentibus: hi autem, licet pactum propositum, à juribus quidem non reprobatum, suo filio autem non parùm damnosum agnoscerent, in illud demùm consensere, eò quòd rescissionem Sponalium, utpote toti familiæ in his circumstantijs oppidò contumeliosam expectare nollent.

Q. 1. Num contractus metu gravi, eoque injusto extorti jure naturæ valeant?

Q. 2. Num jure positivo?

Q. 3. Quid de metu levi extortis sentiendum?

Q. 4. Num inferens quidem metum injustum, sed levem in conscientia teneatur contractum rescindere?

Q. 5. Num contractus præsentis casus sit nullus, vel rescindibilis?